

2

Q. F. E. Q. S. I. D. T. O. M.
SPECIMEN ACADEMICUM,

**PRÆSTANTIAM
HOMINIS PRÆ BRUTIS
DISQUIRENS,**

Cujus
PARTEM PRIOREM,

CONSENSU AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH.
IN REGIA AD AURAM ACADEMIA,

PRÆSIDE,

VIRO MAXIME REVERENDO atque CELEBERRIMO

**D: NO C A R O L O
MESTERTON,**

S. S. THEOL. DOCT. LOG. & METAPH. PROFESS.

REG. & ORD.

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBMITTIT

ALEXANDER KRANCK,

OSTROBOTNIENSIS,

IN AUDIT. MAJ. DIE XIII. DECEMB. ANNI MDCCCLX.

H. A. M. S.

ABOÆ Impressit.

VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo,
D^{NO} C A R O L O
M E S T E R T O N ,
S. S. Theol. DOCT. Log. & Metaphys. PROFESS.
Reg. & Ord.

Nec non

Ecclesiæ Pemar. PASTORI Vigilantissimo,
MÆCENATI OPTIMO.

Quemadmodum Sol, cœn rex atque moderator rerum siderea-
rum splendidissimus, nitore & luce sua suavissima, omnia
radiat atque illuminat, que in nostro systemate compre-
benduntur, loca; ita & Magni Viri, quos Sapientia Creatrix
donis maximis excellentissimisque ornavit, litterarum cultoribus
eorumque musis, doctrina sua profundissima gratiaque suavissima
lumen mutuantur suum, quo alioquin totum orbem litterarium
collusstant. Ne igitur succenseas Mæcenas Optime, quod opusculo
huius levidens, omni nitore desituto, ex Nominis Tui splendore
lucem fænerari ausus sim. Sunt enim nationes innumera, que
ad hocce me alliciunt propositum. Beneficia, quibus me cumulare
non designatus es, ab illo usque tempore, quo mibi contigit se-
licitus illa exoptatissima, ut Filium Tuum suissima indolis, infor-
matione

VIRO Amplissimo atque Speciosissimo,
D^{:NO} DANIELI
GADOLIN,
CAMERARIO Provinciali Dignissimo,
Vigilantissimo ,

NUTRITIO Liberalissimo, PATRONO In-
comparabili.

IN OMNIS TUI Ceteris

Si in aliqua re stupenda & mirifica Creatoris Omnipotentis o-
lucescit sapientia, certe & in hoc, quod ita homines con-
siderit, ut quidam majoribus & sublimioribus exornati a-
nime donis, theatrum hoc actualitatis ingrediantur, alii minori-
bus. Alii enim in scenam banc prodeunt predici intellectu splen-
didissimo, ingeniique vi excellentissima, cuius ope ad res arduas
difficillimasque obeundas mira feruntur alacritate. Hosce sapien-
tia sua thesauros in Te, Vir Amplissime, quasi consuere fecit i-
dem Numen, adeo ut admirationem jure omnino merearis maxi-
mam. Hinc factum est, ut intima scientiarum delubra secretissi-
maque earundem adyta non quasi per transennam adspiceris sed
exakte perlustraveris. His itaque rite perpenitus, utrum pagellas
base, vacillanti admodum penicillo adumbratas, Nomine Tuo ve-
neratione

ALEXANDER RAVEN

mationi mea traditum viderem, tanta sunt, ut facundiam meam,
que nulla est, in totum eludant, & veneracionis stupore animum
meum, penitus obruant. Ne itaque mireris Vir longe Celeberrime,
quod ego tantum verbo significare non erubescam, me to-
tum in are Tuō esse submersum. De cetero humillimus oro,
aigneris lucubrationes basce, rudi minerva elaboratis, quas in si-
gnum gratissimi aevotissimique animi Tibi dedico, solito, hoc est,
gratioso affectu vultu, & me meamque fortunam ut bueusque
ita & posthac gratiosae Tuę tutelle habere commendatam. Ego
DEUM Ter Optimum Maximum, Omnim rerum moderatorem &
omnisque felicitatis statorem Sapientissimum, ardentissimis defatiga-
re precibus nunquam intermittam, velit Te, Vir Maxime Reve-
rende, in ultimam, quam caducum bocece rerum habitaculum,
fert annorum seriem, salvum & sospitem servare, in Ecclesia
& Reipublica nostra litteraria fulurum desideratissimum, & fa-
miliae Tuę nobilissime delicium & patrocinium longe maximum,
exoptatissimum. Sic paret, vovereque continuabit, quamdiu spia-
ritus hos regit artus.

NOMINIS TUI Celeberrimi

... invenimus deinceps adiutio Venerabilis et auxilio ut
vix excedet nos, sed si Venerabilis & amicis nostris
de frumentis adiutoriis Venerabilis secundum tu, credidit
Irenicus illa, quoniam huius similitudinis sed remissi, nichil autem
autem utilitatem sibi; neque enim manu; ni minus nisi... sed
manu; et haec esse ipsa, amicis nostris in auxiliis, credidit
Irenicus illa, amicis nostris enim utilitatem & auxiliis
et tunc excedit nos, & amicis nostris tunc, & tunc Irenicus illa
exinde frumentis omniis tunc secundum secundum tunc
utilitatem induit, & tunc tunc tunc tunc tunc tunc
neque excedit nos, neque non possit utilitatem exinde
auxiliis, & tunc tunc tunc tunc tunc tunc tunc tunc
devotissimus cultor,
ALEXANDER KRANCK.

eneratione dignissimo consecnare auderem, non mirum si animus
habitationi sua iusto adfixus meneret; nisi ex altera parte animo
revolverem quantis ab eo usque tempore, quo Filii Tui uti unic
ita & rarissime indotis, informationem mibi demandatam voluisti,
me beneficiis ornaveris, tantis quidem ut iisdem delineandis predi
candisque ne ipsa quidem svada facundissima, neum lingua mea
in etathris suis balbutiens sufficiat. Tot enim tantaque gratiae &
favoris Tui expertus sum documenta, ut vel sola memoria vires
ingenii mei ex toto sufflaminent. Sed quamvis facultas mihi de
sit, ut hunc Tuum favorem, Vir Spectatissime, maximum, ne
colere quidem ex merito nedum rependere queam, humillimus tra
men oro atque obtestor, velis munuculum boce levidanse, quod
Tibi pia mente offero, in perpetuam submissa & nunquam inter
moriturae venerationis accipere tesseram, meque ulteriori Tua gra
tia beare. Permitte quoque ut pagellæ haec incomta atque omni
elegantia destituta, a Nomine Tuo radios mutuari queant.
Meum de cetero erit votis calidissimis ardentissimisque suspiriori
Summum Universi Arbitrum implorare, ut omnigena, cuius in
his terris sis capax, Te mallet felicitate. Vivas itaque Vir Am
plissime, vitam diuturnam & felicem! Vivas decus & emolu
mentum Reipublicæ! Vivas eruditorum ornauentum exoptatissi
mum! Vivas denique splendidissimæ Tuæ familie delicum svavis
sum & fulcrum desideratissimum! Ut & ego de Fautore bea
nignissimo mibi quam diutissime gratulari queam. Sic ex intimo
pettore vovet vovebitque ad cineres

NOMINIS TUI Amplissimi

PARTIS I

devotissimus cultor,

ALEXANDER KRANCK.

ALEXANDER KRANCK.


VIRO Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
D:no Mag. JACOBO FALANDER,
PASTORI Ecclesiae, quæ DEO in Carlö colligitur,
Vigilantissimo, Adcuratissimo,
PARENTI Optimo, indulgentissimo.

UT tristissimam illam censem diem, qua Parente Optimo in ætate terrima præmature orbatus sui, ita felicissimam illam agnosco, qua Te DEUS Ter Optimus Maximus Parentem mihi constituere voluit Indulgentissimum Propensissimum. Tot tantaque Tui, Paren Oprime, flagrantis sae amoris Paterni bonitatisque prorsus singularis mihi ob oculos versantur documenta, quæ quantaque mihi unquam exoptare queam. Rem non difficillimam solum in me sufficerem, verum etiam arrogantiam redolerem, si eadem rudi verborum syrmate delineare sustinerem. Etenim Tu, Paren Optime, ipse studiorum meorum optimus fuisti Moderator: Tu adhortationibus Tuis Paternis me ad virtutem & veram pietatem duxisti: Tuis impenitis Scholam frequentavi: Tu denique studiorum meorum promovendorum gratia me ad hæc musarum delubra missisti. Verbo: Omnia fere post DEUM Tibi debo. Hinc itaque non possum non, quando hæc pia evolvo revolvoque memoria, obstupescere, nam unde tanta rependam beneficia, nihil præter nunquam emoritaram mentis habeo venerationem, & hoc quod me mirum quantum exultare facit, est quod certo certius sciam Te ex satu hoc adeo largo nullam aliam expectare messem emetendam. Accipe igitur, Paren Optimo, serena qua soles fronte hafce venerationis publicæ primitias, quas Tibi non potui non consecrare, ceu tesseram quandam pietatis meæ nunquam defuturæ. De cetero humillimus oro, velis, Paren Optime, me in posterum eoden affectu, quo coepisti, amplecti, meamque fortunam Tibi commendaram habere. Meum erit Summum numen semper calidissimis implorare precibus, velit Te, Paren Optime, quavis coronare atque condecorare felicitate, omniaque faustissima, quæ ipse Tibimet exoptes, largiti. Vivas! Vigæas! Floreasque in Nestoreos annos salvus & solipes, in meum nostrorumque omnium gaudium exoptatissimum, fulcrum & solatium certissimum jucundissimumque. Et tandem dum iussu Creatotis Omnipotentis cana ætas dies Tuos ad finem perductura est, Vivas vitam in æterna cælicolarum beatitudine felicissimam. sic vovet, qui ad ultimum usque vitæ halitum permanfuris est

PARENTIS Indulgentissimi

ALEXANDER KRANCK.

Filius obedientissimus,
ALEXANDER KRANCK.



§. I.



Ti laxissimas, ita & periculosissimas
malitiæ suæ Fanatici tradidere habenas,
qui balbutire haud erubescunt, homi-
nem inter & bruta parum vel nihil in-
tercedere discriminis. Blaterant enim homines hu-
jus furfuris, animam humānam illius esse indolis
ac brutorum, & differentiam, si qua fuerit, modo
in eo consistere, quod homines majoris calliditatis
prudentiæque capaces sint, quam bruta animalia,
adeo ut facilius ad varias certasque res discendas
exercendasque adduci possint, quod potius structu-
ræ corporis & variæ cerebri constitutioni ejusdem
que magnitudini, quam enticuidam a corpore di-
verso attribuendum arbitrantur. Ut insuffissimam
immortalitatique animarum humanarum inimicissi-
mam hanc suam salamandram eo facilius mundo
ad sanas in hominibus extingvendas notiones ob-
trudere queant, faciunt comparationem inter hos
minem male educatum, & ejusmodi animalia, in
quibus haud raro tot & tanta calliditatis depre-
hendimus specimina, ut admirationem jure omni-

3) 2 (3

no mereantur. His consideratis, omissis illis, quæ penitus ponderata hominibus excellentiam quan-
dam, eandemque maximam, adjudicandam satis
superque ostendunt, hi homunciones male & ni-
mis præcipitanter minimam tantum differentiam
esse concludunt. Ex his vesaniæ præcipitūs detrusi
in alia æque periculosa, quæ cum allatis indiuiso
vinculo connexa sunt, miserrime incident. Ne-
gant nimirum immortalitatem animæ, aliamque
post hanc frustra exspectandam esse vitam contend-
unt, urgentes hominem nudo constare corpore,
animamque saltem aliquid esse accidentis (*a*), vel
vocabulum, non aliud significans, quam nudum
cerebri laborantis figmentum, quod ad instar so-
mnii svavissimi in propria sua notione evanesceret.
Nec mirum est, illos in tot adeoque hirsuta ab-
surditatum monstra incidisse; quia animam non,
ceu ens quoddam simplex, in cerebello suo delineaverunt, sed finxerunt eandem subtilissima, aërea,
ignea, crystallina, & nescio cujus generis, mate-
ria constantem, quæ non potuit non ob partium
separabilitatem corruptioni, uti omnis reliqua ma-
teria, esse obnoxia. Ast si unquam in aliis, certe
& in hoc, gravissimo alioquin religionis momen-
to, nunquam satis deplorandum illud generis no-
stri vitium elucefecit; quod scil. paucissimi mor-
talium media cœu tutissima in hujus veritatis
investigatione incesserint incedantque via; ne ma-
ximam vero partem alterutri ad hæsisce & adhuc
adhærere extremo tristissima loquitur experientia.

Nam

Nam Charybdin evitantes præcipites plerumque incident in scyllam, hoc est, animam licet proente a corpore diverso habeant, illam tamen in brutis animantibus æque ac hominibus inesse unius ejusdemque indolis, hoc est rationalem; quo, quantumvis frustraneo ausu, differentiam illam essentialem, quæ inter homines atque bruta animantia revera intercedit, tollere allaborant; nam licet bruta animantia non sint meræ machinæ corporeæ, quemadmodum Cartesius & plures alii contendunt; nemo tamen, nisi lippientibus plane oculis brutorum animantium consideraverit naturam, ideas distinctas vel potentiam formandi notiones universales illis adserit; quippe quod vel ipsa corporis strutura, quam sapientia Divina non potuit non in exactissima harmonia & naturæ atque indoli animaliæ accommodatissimam fabricare, plus satis ob oculos ponat. Cum igitur specimen quoddam in lucem emitteremus Academicum, operæ pretium duximus pro modulo ingenii paucissimis indagare præstantiam hominis præbrutis. Quod dum facturi sumus, Te, Lector Benevole, qua par est observantia rogamus, velis tenuitati juvenilis ingenii humaniter ignoscere & pagellas hasce incomatas mitiori perstringere censura.

(a) Vide Walchii Lex. Phil. sub tit. de Mensch.

§. II.

UT eo melius ea, quæ allaturi sumus, ex voto
succē-

succedant, iubet omnium primo paucis evolvere
 convenientiam homines inter & bruta. Quando
 oculis attentis naturam omnium in universum a-
 nimalium perlustramus, tria præcipue notionum
 genera nobis sunt obvia, quibus convenientiam
 & differentiam animalium absolvit nemo non vi-
 det. In duobus illis prioribus notionum gene-
 ribus, non solum occurunt nobis notiones, quæ
 essentiam animalium in primo suo conceptu mate-
 riali constituunt, hoc est, quæ nihil quicquam ad
 inexistentiam suam determinandam intelligendam
 que in essentia animali præsupponunt, sed conce-
 ptum ejus primum (materiale scil.) ex toto ab-
 solvunt; verum etiam notiones, quæ essentiæ seu
 conceptui primo rationem inexistentiæ suæ ita in-
 volvunt, ut sine totali ipsis essentiæ destructione
 separari nequeant. Illæ essentialium veniunt no-
 mine, hæ vero attributorum. In ultima classe col-
 locatæ sunt affectiones, quæ cur animali inexi-
 stant naturæ, rationem non unice in ipsa essentia
 aut attributis, sed in caussis ab essentia & attribu-
 tis diversis, habent, & accidentalium numerum
 absolvere solent. Ex hisce sine ulteriori disquisitio-
 ne patere existimaverimus, tam convenientiam,
 quam differentiam inter hominem & animalia es-
 se certo respectu essentiale & accidentale. Et
 quemadmodum res est notissima, de qua, vel sal-
 tim nemo alias, nisi ille, qui materialismo est in-
 fectus dubitat hominem duabus essentialibus con-
 stare partibus, corpore scil. organico & anima ra-
 tionali;

tionali; & bruta animantia quoque corpore organico & anima sua quantumvis irrationali, non destitui, sana quemvis evincit attentio; ita & convenientiam differentiamque, quæ inter hominem & bruta intercedit, tam essentiale, quam accidentale, in tres abire ramos, quis est? qui non videat; hoc est, convenientiam & differentiam, de qua loquimur aliam esse corporis, aliam animalium, aliam denique ex toto composito profluentem.

§. III.

His præstructis facillimam nobis jam patere existimaverimus viam ad convenientiam inter hominem & bruta brebiter evolvendam. Comprehenduntur bruta animantia & homines sub uno eodemque genere animalium; nam constat homo æque ac bruta animantia corpore & anima. Ast quemadmodum animæ hæ in multis conveniunt, ita & corpora; quippe quæ in utraque specie non solum cum artificiosissimis & ad functiones animales necessariis organis sensoriis sapientissima Numinis fabricaverit manus, verum etiam infinitis iisdemque minutissimis, stupendaque arte confectis, canalibus, vasculis, sanguine per totum corpus ambulatorio, vel succo quodam, sanguinis vices agente repletis, aliisque ejusmodi, quæ ad functiones vitales peragendas requiruntur, Provida Divina instruxit cura. Quod hic de corporis humani,

ni, vel superioris generis animalis structura jam
 diximus, valet id quoque speciali quodam modo
 de quadrupedibus, qui præter hæc in multis aliis
 convenient cum Homine. *Homo neque Lapis, neq;
 Planta est, sed Animal; namque eum in modum vi-
 vit & movetur; jam vero non est Vermis, sic enim
 pede unico contentus foret.* Nec Inseclum, sic enim
Antennas habiturus esset. Nec Piscis est, quod careat
Pinnis. Nec vero Avis, quod Pennis careat. Imo
Quadrupes est; gaudet ore, similiter constituto ut in
reliquis Quadrupedibus, denique quatvor Pedibus, quam-
vis duobus ingrediatur, duobus obvia prebendat. Inquit
 D:rus Arch. LINNÆUS in Ejusdem Fauna Svecica.
 Et licet erecto corpore incedere hominibus propri-
 um fere sit, reperitur tamen species quædam si-
 miarum, quæ hac in re Hominem exacte imitantur.
 Hæc & alia ejusmodi fabricam corporis humani &
 Animalis absolventia, qui justa scrutinii pensitave-
 rit lance, sine difficultate deprehendet corpus hu-
 manum cum corporibus brutorum haud in paucis
 convenire. Quod ad convenientiam quæ inter a-
 nimam hominis & animalis intercedit, attinet, hæc
 certe non est minima licet ita non emineat ac
 corporis; Nam utraque harum est simplex sensa-
 tioneque sui aliarumque rerum prædita, quod ul-
 terius patebit, quando attentionem nostram insi-
 mul convenientiæ quæ ex toto composito profluit,
 adfigemus. Concessit Creator omnibus animalibus,
 quibus hominem etiam annumeramus, organa sen-
 foria, quæ sunt quasi fenestra animæ, quia his in
 anima

anima excitantur ejusmodi idea & repræsentationes, quæ cum ipsis rebus seu objectis sunt conformes, adeo ut anima vi harum valeat unam rem ab altera dignoscere discernereque, & quidem ita, ut haud pauca bruta animantia hisce animæ sensationibus, utpote quæ ex inferioribus animæ facultatibus unice deducuntur, nos multis parasangis antecellere videantur, secundum tritum illud:

*Nos aper auditu, præcellit aranea tactu,
Canis odoratu, lynx visu simia gustu.*

Ast memoria sine idearum claritate nullum invenit locum, quia ideae obscuræ ejus sunt indolis, ut ne res quidem præsentes a se invicem distinguere valeant, nedum ideas ante habitas reproducere reproductasque dignoscere.

§. IV.

QUOD in §. antecedente homines cum brutis animantibus in facultate cognoscitiva inferiori convenire demonstratum ivimus, id etiam de facultate appetitiva seu sensitiva, ut jam evictum eamus, ipse rei requiritur ordo. Bruta æquæ ac homines, præterquam quod instinctu & desiderio quodam naturali ad genus suum propagandum fervantur, ea, quæ sensibus eorum grata obveniunt, summopere appetere, illa vero, quæ in iis ingratis excitant sensum, maximo cum horrore averari, & ut a se eadem depellere queant omnibus alabo-

laborare viribus, experientia rotundo loquitur ore.
 Hinc provenit illud, quod in omnibus, quibus sensus sui inest, commune esse videmus, ut nihil quidquam se ipsis carius habeant, seu ipsorum conservationi quibuscumque modis consultum eant, atque omnia, quæ vitæ eorum insidias struunt vel eidem conservandæ aliqua ratione impedimento sunt, vi adgredi conentur & ut injurias illatas data occasione vindicare possint, vehementi flagrant desiderio. Hinc lamentabili ululanteque voce pericula sua imminentia deplorant fugaque eludere adnituntur. Hinc denique querela lacrymarumque tristitia doloris sui gravitatem significare, commiserationemque in aliis excitare pergunt. Verbo: Conveniunt homines & bruta invicem mirum quantum, præter fabricam corporis maxime harmonicam & animæ simplicitatem, quoad totum compositum in sensatione, imaginatione, memoria, desiderio rerum gratarum, & aversatione malorum, quibus mira illa docilitas, quam in brutis animantibus, haud raro, admiramur, accidit. Et quemadmodum totum hoc universum perpetuo quodam motu agitur, ita & animalia, quamvis horum motus longe aliter comparatus sit; quippe quæ una cum hominibus habeant facultatem loco motivam: ea ratione, ut motum suum pro libitu possint incipere, certo modo determinare, ad certum locum dirigere & tandem sponte eundem sistere. Unde vel nobis non monentibus plus satis liquet impræsentiarum sermonem non esse de motu

(B) 9 (B)

tu corporis mechanico, in quo quantum animalia
cum hominibus convenient, physiologi plus satis
testantur. Porro: maximo amore bruta in pullos
suos flagrant, adeo ut illis non tantum alimentum
parent, verum etiam variis omnibusque, quibus
fieri potest, modis, eosdem defendant. In eo in-
super brutorum cum hominibus elucescit conve-
nientia, quod bruta æque ac Homines morbis qui-
busdam sint obnoxia, esuriant, comedant, fati-
gentur, dormiant, crescant, senescant, & tandem
viribus dilapsis, e vita deceant. Sunt præter al-
lata, infinita alia, quæ convenientiam hominis
cum brutis arguunt, sed quum nec pagina nec vi-
res his omnibus indagandis sufficient & allata pe-
nitius ponderata ejus sint indolis, ut nemo nisi
undas in simpulo excitare voluerit, de veritate rei
adstructæ dubitare queat, pluribus proferendis su-
persedentes, ad reliqua pergamus delineanda.

EX his, quæ in paragrapcho præcedenti enuclea-
vimus, satis patere existimamus, quandam dari
convenientiam homines inter & bruta: jam itaque
ut differentiam tam essentialem quam accidenta-
lem, quæ est inter homines & reliqua animalia
delineemus, instituti postulat ratio. Atque sic pri-
mum ad essentialem investigandam differentiam
nosmet accingimus. Condidit DEUS ter Optimus
Maximus omnes res creatas ita, ut in illis varios
diversosque perfectionum gradus conspicere quea-
mus,

30

mus, & id quidem, non tantum in rebus inanimatis, verum etiam in animalibus, quæ satis superque ob oculos ponunt sapientiam Divinam in rebus creandis nullum admissum saltum. Quod gratis dictum nemo, nisi admodum hospes fuerit rerum creatarum, dixerit; nam qui vel tantillum naturam hanc creatam & inter cetera varias illas animalium species, quibus totum globum nostrum terraqueum abundantiter scatere, videmus, consideraverit, facilissimo deprehendet negotio, allatam veritatem sua, eademque evidentissima radiare luce. Facillime inquam deprehendet; nam quot sunt species animalium, sunt autem fere infinitæ, tot quoque rei hujus sunt testimonia luculentissima. Et licet nos in præsenti diversos perfectionum gradus in diversis animalium speciebus dari contendamus; hoc tamen non ita intellectum volumus, quasi omnes species finibus, quos Sapientia Divina per eas intendit obtinendos, non sufficerent; sed quemadmodum fines Divini sunt diversæ indolis, ita in animalibus diversas quoque requirunt perfectiones, quæ differentiam specificam inter animalia constituunt. Diversitatem harum perfectionum tam in perfectiori corporis structura, quam in facultatibus animæ inquirendam esse, ipsa consideratio Sapientiæ Divinæ, suds clarius ostendit; quippe quæ non potuit non perfectiori corpori perfectiorem animam præficere, quia alioquin frustraneæ forent illæ perfectiones quibus perfectiones in altera compositi parte non exacte responderent. Quod sic

Sic ex notione Sapientiae Iustinæ deductum ivimus, id experientia quoque omni exceptione major luculentissimis confirmat exemplis. Inter infinitas illas animalium species, quæ supremum perfectionis gradum sibi vindicat, est homo, qui cum in corporis perfectionibus, tum in animæ dotibus præ reliquis quam longissime eminet. Corpus cœu habitaculum animæ nobilissimum, est artificium quoddam plane incomparabile, vel ut alienis utar verbis, quæ in Historia Animalium leguntur & ita audiunt: "Thetta Själenes härberge, Kroppen, är en Konst-
bygnad, som alla Människjors snille ånnu ej hun-
nit förstå sig uppå, til bewis, at Själen för hwars
skull thetta Huset blifvit upfatt, är et obeskrif-
weligen högt och förträffeligt wäsende; ty ju
ädlare Person ju bättre Quarter: och ju konstiga-
re Bygnad, ju större är then som skal bo ther-
uti." Cerebrum, cœu ergasterium animæ longe
nobilissimum, in infantulis etiam majus est quam
in animalibus, quantumvis alioquin maximæ cor-
poris molis. Hæc fuit caussa, cur haud pauci
mortalium, nescio quibus lenociniis fascinati, ar-
bitrati sunt nullam aliam inter homines intercede-
re differentiam, quam quæ in magnitudine cere-
bri est fundata, non considerantes cerebrum de-
bere esse accommodatum naturæ animæ humanæ,
quæ licet in inferioribus suis facultatibus, uti su-
pra demonstratum est, conveniat cum anima bru-
torum animantium, in superioribus vero mirum
in modum ab hac differt, hoc est, per intellectum

& voluntatem, quibus donis præciosissimis carent
bruta animalia. Indidit DEUS animis hominum
potentiam, notitiam entis cuiusdam perfectissimi,
seu existentiæ Divinæ, hujus mundi creatoris at-
que gubernatoris potentissimi adquirendi; quia in-
tellectus, qui est facultas res distincte sibi repræ-
sentandi, facillime hanc notitiam e suis clathris e-
volvere potest, modo debita attentione reflexione-
que existentiam suam & aliarum rerum, sistema
mundanum absolvientum perlustrat. Et licet in-
fantuli usu & exercitio rationis destituantur, ta-
men de potentia, eademque proxima nexum veri-
tatum perspiciendi gloriari possunt præ brutis ani-
mantibus, quorum potentia cognoscitiva nunquam
ultra sphæram idearum clararum, seū analogon
rationis adscendit. Porro: Diximus hominem li-
bera voluntate, hoc est, facultate bonum distincte
cognitum appetendi, & malum distincte cognitum
aversandi, condecoratum esse; adeo ut eligere queat
quod ipsi maxime arridet, id autem quod sibi non
convenire videt, aversari & omni repellere nisu.
Non utique homo per intrinsecam aliquam necessi-
tatem ad hoc illudve eligendum vel appetendum,
alterumque aversandum & repudiandum cogi pot-
est, sed libere sponteque suas determinat actiones.
Bruta autem libertate & voluntate destituuntur,
quippe quæ licet, uti ex antecedentibus patet, fa-
cultatem bona appetendi & mala aversandi habeant
& revera grata sensibus appetant & ingrata aver-
santur; quum tamen ex distincta boni & mali co-
gnitio-

gnitione appetitus & aversatio eorum non exoriatur, sed cœco quasi impetu hoc est, necessitate quadam intrinseca in omnibus eorum actionibus ferantur; sodo clarius esse existimaverimus hac in re maximam inter hominem & bruta animantia intercedere differentiam, quæ eo major evadit, quo magis hæ facultates animæ rationalis justo atque debito usu in actum producuntur & ad vitam nostram dirigendam felicioremque reddandam applicantur. Nam hinc gaudent homines vocibus articulatis, quibus suas aliis exprimere possunt sententias; bruta autem licet longa institutione verba nonnulla exprimere atque memoriter recitare queant, nunquam tamen ita loqui didicerunt, ut occasione emergenti verba ad sensa animæ suæ significanda aptare & utcunque loqui noverint. Argumentum hoc, ex loquela, quam jure meritoque interpretem animæ nobilissimam vocandam esse, nemo facile inficiat ibit, deductum, tanti est ponderis, ut palmam reliquis fere omnibus præcipiat. Nam sine loquela omnes rationis thesauri, quantumvis prætiosissimi, frustranei forent, & inculti Tantaleam hominis deplorarent miseriam, imo tantum abeslet, ut homo a brutis animantibus gradu quodam differret, ut potius conditio ipsius longe deterior foret; quod vel ex illis plus satis elucescit, qui inter bestias, separati ab omni hominum commercio, uti sylvestrem, ita & miseriam egerunt vitam. Loquela intellectus divitiae quæ si exhauriuntur, ideæ & notiones distinctæ &

confusionum nubibus evolvuntur, omnes scientiae &
 pharetris suis gravidis de promuntur expoliuntur
 que; haec hominibus socialitatem injungit colen-
 dam; hac civitates constituuntur, constitutæ ador-
 nantur, reguntur & ad florem perducuntur; ele-
 ganter itaque in hanc rem dixit Michaël Picartus:
*Natura nihil facit frustra; natura tribuit homini ser-
 monem, quem alii animalibus negavit.* Frustra ergo
 non dedit. Sermonis autem usus nullus est, nisi com-
 munitate & conversatione. Ergo quia sermo soli ho-
 mini datus, sequitur eum solum maxime civilem esse.
 Ex duabus hisce animæ facultatibus, intellectu scil.
 & libera voluntate sequitur quoque illud, quod
 homo sit legi Divinæ obnoxius. Nam, quemad-
 modum jam ex antecedentibus liquet, homini præ
 brutis competit cognitio, quæ non solum notio-
 nibus singularibus, verum etiam universalibus, ab-
 solvitur, hoc est, ideas distinctas, completas &
 haud raro adæquatas sibi acquirere potest homo,
 adeo ut actionum suarum moralitatem seu relatio-
 nem ad Legem Divinam sine arduo quodam labo-
 re evolvere, atque cognita actionum moralitate,
 libera sua voluntate eas, quas Legi Divinæ natu-
 rali conformes deprehendit, eligere, eas vero, quas
 inimicis cornibus cum summis perfectionibus Di-
 vinis dimicare videt, omittere valeat; hac enim
 in re consistit ipsa libertatis veræ notio seu essen-
 tia. Lex haec, quam homini Divinitus injunctam
 diximus, obstringit hominem, ad DEUM ceu Crea-
 torem suum benignissimum cognoscendum & co-
 gnitum

gnitum devotissima atque religiosa mentis pietate colendum, venerandum æternarumque laudum hymnis celebrandum. O! quantum homo in hoc quoque momento gravissimi alioquin ponderis ab animalibus irrationalibus differt; objectivas quidem laudes animalia DEO, quatenus in statione sua manent, decantant, hoc est, occasionem tantum nobis, potentiam, sapientiam & bonitatem DEI plane stupendam agnoscendi præbent, sed ipsa DEO collaudando hymnos contexere non ut homines possunt. Obstringit insuper lex hæc hominem, ut conservationi sui ipsius perfectionibus Divinis rite cognitis convenienter consulat & ad auxilia mutua ferenda sit paratissimus, rebusque futuris debita prospiciat prudentia, in quam rem præter multa alia Cicero eleganter in Libro I. De Offic. Cap. IV: differit, dicens: *Inter hominem & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu moveretur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum;* homo autem quod rationis est particeps, per quam consequentia cervit, causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque presentibus adjungit, atque annexit futuras, facile totius vitæ cursum videt, ad eamque degendam præparat res necessarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini & ad orationis & ad vitæ societatem. Et paucis interjectis; imprimis hominis est propria veri inquisitio atque investigatio.

§. VI.

Si ex consideratione dotum, quibus humanam naturam exornatam videntis, oculos nostros ad finem, quem DEUS Sapientissimus per creationem hominis & brutorum intendit, convertamus, occurrit nobis stupenda discriminis inter duo hæc entia creata abyssus, quæ utrum homini præstantiam quandam præ brutis adjudicet, ex illis quæ in parte posteriori allaturi sumus, patebit, in hac vero parte sufficit ipsam tantum perlustrare differentiam. Nam quemadmodum bruta animantia capita sua terræ obvertunt, ita & terrenis, hoc est, sensualibus adquiescunt; homo vero vel ipsa cupiditatis insatiabilitate se ad majora, quam quæ in rerum caducarum consistunt, esse destinatum satis superque ostendit; quod etiam saniores gentilium philosophorum agnoverunt. Voluit DEUS Optimus Maximus, ut homo creandus foret ejusmodi animal, quod gloriam ipsius illustraret, non solum quandiu hujus vitæ stadium percurreret, verum etiam in æternum; quia gloriam suam illustrandam, ceu bonum maximum, non potest non DEUS immutabiliter appetere. Ast huic amplificandæ non alia ratione homo potest facere, quod satis est, nisi existentiam suam etiam post hanc vitam continuaret, hoc est, nisi foret immortalis. Unde quasi prono fluit alveo hominem in hac quoque re mirum in modum differre a brutis animalibus; quibus immortalitatem nemo, nisi luce meridiana cœcutire voluerit, adjudicabit, quod ut plurius

pluribus excutiamus, instituti non permittit ratio,
 sufficit hoc & multa alia aliunde adstructa præsup-
 ponere. Si quis ulterius vel tantillum animum
 suum ad vitam hominum civilem contemplandam
 adverterit, non certe unum aut alterum differen-
 tiæ specimen deprehendet, sed infinita fere, qui-
 bus delineandis, tanto magis supersedere possumus,
 quanto plura & luculentiora hæc sunt; quæ quam-
 vis ad accidentalem pertineant differentiam, non
 tamen eam ob rem parvi sunt facienda; quippe
 quæ uti reliqua omnia ad conservationem morta-
 lium quam maxime conferunt. Bruta animantia
 ipsa natura vestibus prospexit necessariis, homo
 vero ad conservandum atque tegendum corpus
 suum contra vim caloris & frigoris, aliaque peri-
 cula, sanitati corporis nociva, varia arte sua tegu-
 menta contexit, vel pellibus animalium utitur; qui-
 bus varia ædificiorum genera accedunt, quæ in eun-
 dem finem varia arte multoque labore exstruuntur.
 Ut de illis quæ ratio humana ad vitam suam contra
 insultos hostiles defendendam excogitavit, nihil di-
 cam. Fabricam corporis animalis peritissima manus
 creatrix ita confecit atque adornavit, ut capita sua
 semper in humum vertant, homo vero solus, quem
 papiones, in quantum in commercio hominum sunt,
 imitari haud raro discunt, erecto incidit corpore;
 quod gentiles quoque tanti fecerunt, ut vel ob so-
 lam hanc rationem homines multo nobilioris agno-
 scerent originis quam bruta animantia. Hinc enim
 Ovidius inter cetera hæc cecinit verba:

*Os homini sublime dedit (scil. natura) cœlumque
tueri,
Jussit & erexit ad sidera tollere vultus:*

Et Cicero: *DEUS homines humo excitatos celos
& erestos constituit; ad cœlique quasi cognationis &
domicili pristini conspectum excitavit.* At ne limites
brevitatis propositæ transeamus, infinita alia, dif-
ferentiam de qua loquimur, arguentia, silentio in-
volventes, hoc unicum tantum allatis addamus,
quod in bruta animantia nullæ cadant virtutes,
quibus tamen homines suam tam temporalem quam
æternam felicitatem mirum quantum promovere
augereque quivis nisi talpa cœcior est, videt. Ex
his, quæ in hac dissertatiuncula nostræ parte jam,
quantumvis brevissimis & festinante calamo per-
strinximus, in parte posteriori, Divina favente
gratia, præstantiam hominis præ reliquis animali-
bus, in quantum vires juveniles valeant, delineati-
turi sumus. *DEO Ter Optimo, Maximo qui sa-
pientiæ, potentiæ atque bonitatis suæ thesauros no-
bilissimos, tanta cum copia in genus nostrum
confluere fecit, sit Laus & Gloria, per secu-
la nunquam terminanda, Maxima!*